



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis; Illvstrivm
Miracvlorvm Libri II**

Petrus <Cluny, Abt>

Coloniae, 1611

XVIII. De visione q[uam] de ipso |vidit Prior S. Zenonis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64969)

lans, adiungit. Oro vos (inquit) fratres & filij, vt quia me in proximo recessurum à rebus humanis intelligo, valedicatis ex parte mea, & affectuose salutetis, in primis Dominū meum & patrem Cluniacensem Abbatē, Priorem & suppriorē. Hugonem Camerarium, & Arbertum sacristā, totumq; simul fratrum nostrorum Cluniacensium conuentum, Abbatē vizeliacensem Albericum, & Priorem de charitate. Specialiter autem intimos & præcordiales filios meos, apud S. Martinum de Campis Deo seruientes, quos ego prout melius potui, in Dei seruitio educaui. Hæc benedictus vir dicens, non solum quantum in Deum, sed etiā quantum in fratres & filios honoret affectū, ostendit.

*De visione quam vidit de ipso Prior
Sancti Zenonis.*

CAPVT XVIII.

NON multos verò ante dies, Prior monasterij S. Zenonis, quod Pisis constitutum est, viderat in somnis eum, de quo agitur, habitu monachali indutum, ei que puerum venustæ formæ, qui etiam regis filius dicebatur, adstare. Præferebat autem idem puer

1 5

mani-

manibus librum, aureis literis scriptum. Quem cum aperuisset, venerabili illum Matthæo offerens, vt legeret, suadebat. Cumque ille responderet, quid sibi lucris de lectione illa prouenturum esset, adiecit puer, Percipies (inquit) huius libri lectione, omnium linguarum notitiam. Qui postquam legit, interrogatus à puer, Hebraica lingua, Hebraicè respondit. Sciscitatus & Græca, respondit eadem. Et puer. Sicut inquit in his duabus te peritum probasti, sic & vniuersarum diuersitatem linguarum, te noueris affecutū. Dixit hoc, & statim ei regale palatium, mirabili pulcherrimaque structura insignne, monstrauit, & vt ingrederetur precepit. Cumque ille se quia imparatus esset, ingredi non posse respondiisset, adiecit puer. Vade inquit, & vt ingredi possis, cito te parare festina. Cessit ille in partem, & vniuersis tam sacerdotalibus quam pontificalibus indumentis se citò componens & ornans, ad puerum statim reuersus est. Cū quo & alios innumerabiles angelici decoris pueros inueniens, ad designatū palatium accessit, & omnibus letata ac sublimi voce cantantibus, Alleluia, Benedicamus patrem & filium cum sancto spiritu, in illud ingressus est.

De vi.